DETERMINATIONES PHILOSOPHICÆ,

Quas, Laureæ Magisterialis Candidati, in Collegio *REGALI ABREDONENSI*, ad diem 13 *Iulii*, A. P. D. O. M. Publicè propugnabunt horis & loco solitis.

ARBITRO *ALEXANDRO FRASER.*

Mart. *Turpe est, difficiles habere nugas, & stultus labor est ineptiarum.*

ABREDEIS, Excudebat IOANNES FORBESIUS, URBIS & UNIVERSITATIS Typographus, *Anno Dom.* 1693.

Illuſtriſſimo, Generoſiſſimo, ac Ornatiſſimo

DOMINO, D. THOMÆ BURNET

à *LEYES*,

Equiti Baronetto, Baroni de *Cowie*, *Muchalls*, &c.

Clariſſimæ, Antiquiſſimæ & Splendidiſſimæ *BURNETORUM Gentis*, Primicerio Digniſſimo & Principi Strenuiſſimo,

Auguſtiſſimi *REGIS* Conſiliario intimo.

Eximiâ in DEUM *pietate*, *in* PRINCIPEM *fidelitate*, *in* Patriam *amore*, & *probos omnes favore*, *fulgentiſſimo*, Religionis *ſtudio*, *ac invicto*, *pro* jure *tuendo retinendóque*, *animo*, *ſummè ac inſigniter conſpicuo*.

Viro verè nobili, Omnigenæ virtutis adoreâ decoriſſimo, natalium ſplendore perhonorifico, de noſtro hoc *COLLEGIO REGALI ABREDONENSI*, *Proavorum more*, Optimè ſemper merito. MÆCENATI noſtro maximopere colendo, ac ſummè honorando.

Felices

Fœlices longâ ſerie annos, proſperos rerum ſucceſſus, tempora pacatiora, Auguſtiſſimæ Domus *ſplendida incrementa, & bonis quibuſque cumulatiſſima, humillimè & devotiſſimè optant*

ALEXANDER FRASER PROMOTOR;

Et hi CANDIDATI.

Alexander Davidſon,
Alexander Fraſer,
Alexander Hat,
Alexander Pillar,
Alexander Seton,
Alexander Shand,
Alexander Tulloch,
Carolus Anderſon,
David Denune,
David Lindſay,
David Ogilvie *unus*,
David Ogilvie *alter*,
Georgius Gordon,
Georgius Laing,
Georgius Ogilvie,
Gilbertus Ramſay,
Gulielmus Gordon,
Gulielmus Mair,
Gulielmus Munro,
Hugo Fraſer,
Jacobus Livingſton,
Jacobus Maclean,
Ioannes Annand,
Ioannes Banks,
Ioannes Cruickſhank,
Ioannes Farquharſon,
Ioannes Laing,
Ioannes Milne,
Ioannes Symſon,
Kennethus Bailie,
Patricius Crighton,
Thomas Milne.

DETER-

DETERMINATIONES PHILOSOPHICÆ.

QUI infallibiles ſcientiarum evidentias paulò accuratiùs contemplatur facili ipſum negotio firmæ indiſſolubiliſque earum inter ſe concatenationis naturam, luce meridianâ clarius detecturum non dubito: ſicuti enim nihil vanius nihil ineptius nec fingi nec excogitari à quoquam poteſt quam ut principiis innumerabilium & inextricabilium controverſiarum difficultatibus obnoxiis, regulas inveſtigandarum diſciplinarum ſuperſtruere conetur; ita profectò, nulla certior, nulla univerſalior, nulla unquam omni perfectionum genere inſtructior affulgebit in abſcondita veritate eruenda methodus, quam quæ ex natura ſua certis & abſolutiſſimè veris principiis, quæ ſemel percepta, vel perti aciſſimo omnem dubitandi occaſionem, omnem controverſiarum anſam, ſuâ ipſius conſcientiâ teſte, protinus adimunt: hac enim ratione ad veram perceptionem manifeſtus tolleratur introitus. *Ex certis ſciz. nihil falſi, ex falſis nihil certi ullo modo deduci poſſe.*

II. Quo poſito ſi quis ex frequenti diuturnóque ratiocinii evidentis exercitio, tandem exactiſſimè perceperit, quid revera ſit *demonſtratio*; quæ conditiones ad veram demonſtrationem ſint requiſitæ: quales in quibuſcunque caſibus oporteat eſſe præmiſſas: qualem denique concluſionem: mentem protinus ſuam tam â æternarum veritatum perſpicuitate, tam ſplendidâ rerum abſtruſiſſimarum cognitione illuminatam reperturus eſt, quòd nullum hallucinationi nullum fallaciæ errorive locum ibidem relinqui, aperto ore debeat confiteri; ſi verò inopinatò fortè labes irrepſerit, primo ſenſu per intuitu, & ita quidem detegetur ut omnis in poſterum ad dubitandum præcludatur aditus. Unde luculenter ſatis patet artificium hoc quemadmodum omnium eſt pulcherrimum, ſi iis, qui accuratioribus meditationibus aſſuefieri cupiunt, adeo eſſe neceſſarium quòd abſque illo, quælibet de re qualibet cogitationes merum componant chaos.

III. Cum

III. Cùm autem omnis certitudo concluſionis pendeat à principiis e quibus ipſa elicitur, non poteſt diſcurſiva notitia debitam habere perfectionem niſi & certa aſſumpta fuerint principia, & in conſequentiis formandis fideliter ſatis iiſdem inhæreatur; utrumque autem maximè apparet in diſcurſu, qui brevioribus ac pauciori-bus conſequentiis à ſuis principiis recedit; cui idcirco potiſſimùm quoque ſtudendum eſt tanquam ſimpliciſſimo, evidentiſſimo, firmiſſimo, ideóque & maximè naturali; promptum verò hujus uſum unicè dare poteſt praxis *Logica.*

IV. Inter varias mentis actiones, celebris eſt vis illa quâ anima apta eſt cogitationes a ſe formatas ſic retinere, quod eaſdem, data occaſione, repetere poſſit, conſcia ſe olim illas formaſſe, quæ *Recordatio* dicitur, quandoque etiam *Memoria* & *Reminiſcentia*; quemadmodum enim quæ de rebus formantur cogitationes ſunt quædam quaſi rerum picturæ menti inhærentes, ita quædam ſemper ſui veſtigia in illa relinquunt, eam diſponentia, ad eaſdem facilè reſumendas, & priſtinam earum conſcientiam de novo refricandam: ad rationis autem uſum ſummè neceſſaria eſt hæc animæ vis, quòd ideas atque judicia plura inter ſe conferre ac copulare nequeat mens, ſin alterius cum altero connectendi memor fuerit, quod in deliris & ejuidem rationæ aiis quotidie obvium.

V. Nobiliſſima *Mentis* natura ſuâ quaſi ſponte docet illius originem Cœleſtem, autorémque ſui patrem ſpirituum Deum, cujus vivum eſt in imagine parva exemplum; unâ eadémque actione Deus *Animam Rationalem* creat & corpori unit: quod an in fœtus conceptione fiat, an verò deinceps? non peræquè conſtat quàm eam ante ſuam cum corpore unionem non extitiſſe, cui contrariatur *Platonica Animarum Præexiſtentia.* Opinandum autem non eſt mentem poſt ſuam à corpore ſeparationem non extituram, quemadmodum ante ſuam cum corpore unionem non extitit. Quæſtiones quaſdam ſatis difficiles de præcipua unionis in corpore ſede, nec non de conſequentibus ejuſdem, ſenſu, ſanguinis motu in affectibus, motu corporis arbitrario, aliiſque quæ ex partium corporis ſitu ac circumſtantiis pendent, opponentium arbitrio determinandas relinquimus.

VI. Cujuſlibet animo a natura inſitus eſt immediatus divinitatis

ſenſus: quiſquis turpis & honeſti diſcrimen admittit, aliquod etiam legis naturalis opus admittere cogitur; ubi verò legis, ibi quoque legiſlatoris congenitam eſſe conſcientiam arguit relatorum natura, neque legiſlatoris cujuſlibet, ſed cujus abſoluto dominio omnia ipſaque hominis conſcientia ſubjecta ſunt, *Qui ſolius Dei character eſt.* Quæ veritas ſemel obſervata ad ſingula Dei *Attributa* accuratiùs concipienda non parum conducet. Supremi itaque numinis exiſtentiam ejúſque naturalem notitiam, veritatum omnium quæ in univerſa *Philoſophia* occurrunt facilè primam ac longè præcipuam eſſe propugnandum ſuſcipimus.

VII. Quamvis ingens ſit ſententiarum divortium in concipiendis & Deo tribuendis his aut illis attributis, in hoc tamen uno conveniunt omnes quotquot planè Athei non exiſtunt; Dei ſciz nomine intelligi *Ens infinitè perfectum*, quo nihil aut majus aut excellentius exiſtit. Unde patet infinitam Dei perfectionem non tam attributum, quàm quandam attributorum omnium complexionem eſſe, quâ mens noſtra brevi quaſi compendio apprehendere nititur quicquid de Deo cogitandum venit.

VIII. Primum quod in re qualibet ſpectandum occurrit. eſt prima ejus poſitio, ſeu primum exiſtentiæ momentum, ac cui *Cauſæ* & cauſalitati illud debeat; primo itaque loco ſpectanda venit illa Omnipotentis actio, *Creationis* nomine vulgò indigitata, cujus vi exiſtere cœperunt quæcunque exiſtunt; notat enim *Creatio* Dei actionem quâ quicquid a ſe diverſum exiſtit ex nihilo produxit. Fruſtra hic regeretur ex præjacente forſan *Materiâ* univerſum productum, hanc enim æternam eſſe non potuiſſe conſtat: nec mirum eſt perarduum nobis eſſe, rei ex nihilo productionem concipere, cum difficulter admodum cogitationem abſtrahamus ab obvia creaturarum activitate naturæ legibus adſtricta, cujus intuitu ex nihilo nihil fieri certum eſt alia autem eſt ratio infinitè potentis Dei qui naturæ præeſt non ſubeſt: unde ſatis liquet ſolius Dei eſſe, & non alterius creare, & qui rem ex nihilo produxit, eâdem cauſalitatis ſufficientia facilè poteſt ex quovis facere quidvis, quæ productio, ſi ex inhabili fiat materia, *Creatio* mediata dicitur; uti altera illa immediata.

IX. Quod ad rerum creatarum initium attinet, in quo ſciz.

Zodiaci

Zodiaci ſigno in prima rerum productione Sol extiterit? Deo merè arbitrarium id fuit, idcóque nemo non temerarius hac de re quicquam definiverit Hoc vero conſtat creationem ab æterno nec factam eſſe, nec fieri potuiſſe De modo & ordine quem ſervavit *Cauſa Prima* in ſpecioſa hac mundi fabrica excitanda, ſolo naturali lumine non magis liquet quam de præciſo creationis tempore: verùm *Sacræ Ephemerides* delineant *Sextiduanâ Creationis morâ* hanc mundi machinam ſurrexiſſe, quas indubitatæ fidei eſſe opportet inter quoſvis cui infallibilem divinorum oraculorum authoritatem rite ſe agnoſcere profitentur.

X. Quemadmodum Deus rem ex ſe non exiſtentem creando exiſtere fecit, ita ex ſe non extituram conſervat & in exiſtendo perſeverare facit Toto Cœlo errant qui *Annihilationem* poſitivam Dei actionem fingunt, totámque *Conſervationem* in meram non-annihilationem reſolvunt: rectiùs hi ſentiunt qui opinantur ad annihilationem nihil pertinere, præter purum *Cauſæ Primæ* non influxum: ut enim ante mundum conditum præter Deum nihil erat, nunc quoque ſi Deus operari deſineret in nihilum cuncta redirent.

XI. Sicut [illegible] ſit judicat, in ea etiam alia datur facultas quâ apta eſt ſemet inclinare ad conſequendam vel conſervandam rei fruitionem quam bonam judicavit, & conſequenter omne illud declinare quod ejuſmodi boni fruitionem impedire poſſit: nihil autem aliud eſt boni fruitio quam animi in re ſibi conveniente acquieſcentia, ex experimentali ejuſdem ſenſu oriunda, hæcque tria involvit, actualem boni unionem, unionis iſtius conſcientiam, & animi denique in ea quietem.

XII. *Summum bonum* ſeu objectum quod nos beat, nec in Epicureorum *Deliciis* reperitur, nec in Stoicorum *Apathia* nec in otioſis Platonicorum *Ideis*, nec in generis *Claritate*; ſed in Deo ter Optimo Maximo omnium bonorum fonte, in quo tanta perfectionum immenſitas, quòd in ſola illius fruitione conſiſtat creaturarum omnium rationalium *Beatitudo*. Ignorantia fœlicitati inimica eſt, non itaque *Beatifica*, ut volunt nonnulli, cum certiſſimum ſit illud vulgare, *Ignoti nulla cupido*. Unicus ad fœlicitatem aditus

eſt

eſt virtus, *Quæ conſtans & firmum propoſitum eſt ea facienai, quæ ratio optima eſſe perſuadet*; & in appetitionibus noſtris inordinatis moderandis, & paſſionibus illicitis refrænandis præcipuè occupatur. Maxima eſt paſſionum utilitas, cùm corporis tum animæ reſpectu, modò rationis imperio ſubjaceant, & nihil quod ejus legibus repugnat aggrediantur: nihil autem aliud ſunt paſſiones, quàm actus volendi aut nolendi vehementiori impetu eliciti. Singulas paſſionum ſpecies ennarare vix poſſibile, quandoquidem pro infinita circumſtantiarum varietate, in quibus bonum vel malum animo offertur, infinitè etiam variant modi atque gradus, quibus afficitur & movetur voluntas: omnium interim maximè primarius eſt *Amor*, affectus unionis, cui contrariatur *Odium* affectus ſeparationis; cæteræ dein quotquot occurrunt nihil aliud ſunt quàm quidam harum effectus, aut variæ pro circumſtantiarum varietate modificationes.

XIII. Inter omnes convenit, mentem noſtram ratione tantùm liberæ voluntatis actionum ſuarum dominam eſſe, ideóque nullas niſi quouſque liberæ ſunt, tanquam moraliter bonas aut malas ei imputari poſſe, & conſequenter his ſolis hominem mereri poſſe præmium aut pœnam. an verò ut indifferentes quoque ſunt, major eſt controverſia: num autem ſolius voluntatis ſit indifferentiæ *Libertas*, an intellectus ſimul & voluntatis quæſtio eſt, ſed quam facilè dirimat, cui neque intellectus à voluntate, nec hæc a libertate realiter diſtinguitur; præcipuè cum mens nihil intelligat niſi *velit*, neque *velit* niſi intelligat.

XIV. Quodcunque agit propter finem agit; veriſſimum enim eſt illud vulgare, *Deus natura & ſapiens nihil fruſtra faciunt*. Singula interim in finem tendunt modo diverſo atque naturæ ſuæ conveniente: ſolæ namque cauſæ rationales creatæ & a motione finis dependentes, propriè ſive formaliter propter finem agunt. Deus per omnia independens, cuncta propter ſe facit; non ut iis indigens ſed ad patefaciendum creaturis per ſui communicationem bonitatis ſuæ abundantiam, modo a noſtro alieniſſimo nobis incomperto, quippe incomprehenſibili. Res brutæ cum neque finem quâ talem cognoſcant, ideóque nec ab eo quà tali moveantur; cúmque nihilominus ſingulari impetu in fines ſuos accuratè

ferantur;

ferantur; hoc ipſo potentiſſimo primæ rationis imperio ſeſe regi apertè monſtrant.

XV. Datur *Naturæ Lex*, quæ conſiſtit in *Rectæ Rationis dictamine* a Deo menti impreſſo, ad id ut actionum rationalium norma ſit: creaturis autem rationalibus, cùm ſolis, tum omnibus lata eſt hæc lex; ſolis, quia legis præcepta ſolæ intelligere, legiſlatoris authoritatem agnoſcere, ſuáſque actiones ad ejus modulum componere poſſunt; omnibus, quia moralis omnium a Deo tanquam Rege ſuo dependentia hac parte æqualis eſt. Unicus legis naturalis finis eſt, ut inſtrumentum ſit moralis illius imperii quod Deus in hominum tanquam ſubditorum ſuorum animos exercet; hoc enim vinculo aſtringuntur creaturæ rationales ad divini hujus regni amplitudinem pro viribus promovendam, ea fideliter præſtando officia, quæ ex legis præſcripto ſingulæ Deo debent tanquam Regi ſuo, ſibimet tanquam Dei ſubdito, aliíſque omnibus tanquam ſuis in eodem regno concivibus.

XVI. Majores noſtros quotquot labores ſuos naturæ indagationi conſecrârunt, hactenus fatigavit, omnes & etiamnum fatigat, vexatiſſima illa quæſtio, Quid ſit corpus naturale, & ex quibus componatur principiis. Stolida nimis eſt *Chimicorum* jactantia, impia pariter *Epicureorum* Hypotheſis, irrvolæ ſunt *Platonicorum* & *Peripateticorum* nugæ. Horum autem omnium & opponentium pace dicemus, omnia naturæ phœnomena, per materiam variè figuratam, motúque diverſimode determinatam ſufficienter ſolvi poſſe. malè itaque de re Philoſophica ſunt meriti qui formam materialem numeroſo qualitatum realium ſatellitio ſtipatam, in excelſa phyſicæ palatia evexêre. *Materiæ eſſentia* ſeu formalis ratio, nec in *Penetrabilitate* nec in ſola *Extenſione* vel *Senſibilitate*, ſed in extenſione impenetrabili conſiſtit.

XVII. Quamvis quilibet ſe putet claram ſatis motus *Ideam* habere, nullam tamen ejus definitionem hactenus cernere licuit, quæ non hâc aut illâ difficultate laborat. *Motum* præter localem nullum admittimus; generatio itaque corruptio, accretio, decretio & alteratio variæ ejus ſpecies ſunt, quarum beneficio, corpora quandoque eſſentialiter, quandoque accidentaliter mutantur. *Carteſii* leges pro motuum communicatione indubiis experimentis nunc

ſaltas cernimus; non itaque eandem præciſè motus quantitatem in mundo ſemper perſeverare credimus. *Quies* motui eſt contraria. Corporum *Continuitas Firmitas* & *Cohæſio* oriuntur ex partium quiete, contactu immediato, & circumambientium fluidorum preſſura. *Liquiditas* in perpetua partium liquidi agitatione conſiſtit. *Calor* in motu reciproco celeri & perturbato partium inſenſibilium, ſicut *Frigus* in earundem quiete vel minore motu.

XVIII. Ingenioſè quidem explicavit *Carteſius* colorum naturam a radiis deverſimode reflexis & refractis: detexit tamen *Neutonus Cantabrigenſis*, experimentis in priſmate radiorum *Heterogeneitatem*: refringibilitates itaque radiorum diverſos colores exhibentium manent ipſis intrinſicæ, eſtque in radiis aliquid invariabile ratione cujus varios exhibent colores. Sunt inſuper in corporibus variæ diſpoſitiones a partium textura petitæ, quæ unam radiorum ſpeciem majori copiâ reflectunt quam aliam. *Sonus* eſt motus per aera propagatus nervum auditorium ſatis validè movere aptus. *Odor* a partium evaporatione pendet, quæ in nervos exhalantes pro particularum varietate, nervum olfactorium variè movent. Genuinam *Gravitatis* & *Levitatis* cauſam irrito ſanè conatu explicare tentârunt Philoſophi omnes, qui hucuſque hac de re ſcripſerunt: nos ideo in re tam abdita nil pronunciamus; *Carteſii* tamen opinionem, donec quis clariorem detexerit, præ reliquis ingenioſam cenſemus.

XIX. Stupenda motuum varietas, quam in ſummis corporibus cernimus, Philoſophos omni ævo adegit, ad varia *Mundi Syſtemata* excogitanda; inter quas conjecturas quænam ſit vera hujus univerſi *Idea* nemo determinare poteſt. *Iliada* commentorum canit *Carteſius* dum tantâ audaciâ de mundi hujus origine & ſtructura diſſerit, illius enim *Vorticum Hypotheſis* cum phœnomenis cœleſtibus diametricè pugnat; & ſi *Neutoni* demonſtrationibus fides adhibenda, non tam explicandis quam perturbandis cœlorum motibus conducit.

XX. Tam latè diffunditur ſpatioſa hæc mundi machina, quòd finium diſtincta imaginatio prorſus exſuperet cogitationem, omnia fere dimetientem, ad rerum modulum in terræ noſtræ ſuperficie apparentium. Multa quidem de exacta *Cœlorum* a terra

diſtantia

diſtantia tam præciſè definiunt nonnulli, ac ſi nudiuſtertiùs Cœlo delapſi forent; hæc verò omnia mera ſunt figmenta omni fundamento deſtituta; dato enim ſtellarum errantium & fixarum altitudinem ad perfectum calculum a nobis revocari poſſe, non inde colligere licet, quantum ultra fixarum ambitum ſeſe diffundant *Vaſtiſſima* cœlorum *Spatia*, quæ ut ſenſui inacceſſa, ſic menti noſtræ non niſi temerè definienda.

XXI. Inter alia univerſi corpora, ſatis admirabilis eſt globus hic terraqueus, qui viſceribus ſuis complectitur ingentia ignium receptacula, mineralibus & metallis genetandis non parum conducentia. In terræ cortice ſeu ſuperficie ſunt *Plantæ* & *Animalia*, quorum utriuſque generatio eſt ex ſemine. In plantarum ſemine detexit *Malpighius* plantulas exiguas perfectiſſimè exaratas; ita & *Leewenhock* in ſeminibus maſculis animalcula obſervavit: Num verò ſeminis naturam, ortúmque animalium ſatis detexerint hi Philoſophi nobis adhuc non liquet.

XXII. Quamvis infinitâ ferè animalium varietate globum hunc terraqueum ditavit *Sapientiſſimus mundi fabricator*, nullibi tamen magis reſplendet, mirabilis ſummi opificis ſapientia, quàm in ſtupenda & elegantiſſima *Corporis humani* ſtructura; in quo primò conſiderari poteſt *Rubens & rutilans ille humor*, qui dum vivit animal, perpetuo circuitu per totum corpus vagatur. Huic ſanguini omnes qui in toto corpore diffunduntur humores unicè ſuam debent originem: conſumptum verò ſanguinem ſolus reſtaurat *Chylus* in ventriculo fermentatione elaboratus, qui ab hiantibus *Vaſorum lacteorum* infinitis ferè orificiis exceptus, & ad commune *Chyli* receptaculum *Pancreas Aſellii* dictum, circumjacentium viſcerum preſſurâ, per *Ductum Thoracicum* verſus ſuperiora ad venas ſubclavias ſiniſtras delatus, ibidem ſanguini circulanti admiſcetur, & cum eo ad *Venæ Cavæ* truncum dextro cordis ventriculo illabitur, in quo a tranſeunte æthere variiſque partibus in minima dividitur, quo facto ad *Pulmones* ruit, e quibus in ſiniſtrum *Cordis* ventriculum tendit, ubi eandem abſolvit *Scænam*, donec tandem *Cordis* contractione in *Aortam* delatus, ad omnes corporis noſtri partes propellitur.

XXIII. Quibus poſitis, ſequitur ſubtiliorem ſanguinis partem per *Arterias Carotides* dictas rectà ſurſum volare, in quibus ſubtiliſſima tandem portio ramuſculis variis lateralibus cerebrum attingit; ubi ex arteriis prædictis partim in *Plexum Choroidem*, partim in alias ramificatione

tiones per corticalem ſubſtantiam diſſeminatas tranſfuſa, per poros illius plexûs ſubtiliſſimos, in unicum illum cerebri ventriculum, ternis continuis loculamentis diſtinctum, ſubtiliſſimam ſui partem magnâ copiâ tranſmittit, quæ recenti ſuo e corde egreſſu vividiſſimè adhuc mota, & hinc celeriori in motu perſiſtens, per dicta loculamenta ſubtiliſſimæ auræ more æqualiter diffunditur, æqualibus ferè conſtans particulis, atque particulæ hæ ſubtiliſſimæ vehementiſſimè agitatæ, *Spirituum Animalium* nomine nobis veniunt.

XXIV. Sanguis cum particulis ſubtilioribus ſibi annexis per totum noſtrum corpus diffuſus, arteriarum poros nimiâ ſua vi ampliores reddit particuláſque quaſdam his porulis convenientes deponit, quæ tranſcolatæ per muſculorum tubulos eò pergunt, ubi cum quà egrediantur non habeant, depoſitæ pro nutrimento *Corpori* inſerviunt; quæ *Circulatio* debito modo procedens nullam *Machinæ noſtræ* infert noxam: retardata verò innumerabilia nobis tam cognita quàm incognita tradit morborum *Phœnomena*. Inter alia a ſanguinis inſpiſſatione & coagulatione deducuntur capitis ſtupiditas, vertigo, affectus ſoporoſi, Lipothymia, Apoplexia, Aſtma, *&c.* Sic a nimia ſanguinis fluiditate oriuntur dolores capitis lethales cum febribus, agrypniis, deliriis *&c.* Hæc verò medicis relinquimus.

XXV. *Arithmetica* quantitatem diſcretam conſiderat, ut *Geometria* quantitatem continuam. Numerus eſt multitudo ex unitatibus collecta: numerus ſolidus fit ex pluribus multiplicationibus continuis. Numeri figurati non ſolum ex multiplicatione lateris aliquoties poſiti producuntur ſed ex figuratorum mutua multiplicatione variis modis conſtitui poſſunt. *Geometria* quatenus *Theoretica* varias continuæ quantitatis proprietates ac proportiones demonſtrat; quatenus autem *Practica* lineas, ſuperficies & ſolida metitur. Linea perpendicularis ſeu normalis *Geometriæ* & *Arthitectonicæ* magiſtra eſt. Si tres lineæ ſint proportionales quadratum mediæ æquatur oblongo extremorum. Qui proportiones curvilineorum ad rectilinea inveſtigare conati ſunt, ita diſſitas calcant ſemitas, ut poſt *Algebram* adhibitam ſecundùm methodos hactenus editas, vix ſatis eas explicare queant.

Plura hic ſubnectere nos prohibet pagellæ anguſtia, verùm ne diſputandi campum nimium coarctaſſe videamur, Problemata quæ in Theſibus Philoſophicis ad nauſeam uſque quotannis proponuntur, in diatriba, cum bono Deo, pro opponentis arbitrio probabunt aut propugnabunt CANDIDATI.

FINIS.